et Aquitanie ducem. Rex autem Henricus fecit ei omagium cum iuramento pro Burdegala, Baiona, et terra Wasconie cum ceteris, que de Lemovic(ensi), Petragor(iensi), Caturc(ensi), Agennensi et Xancton(ensi) episcopatibus rex Lodwicus superaddidit ei. Habebant enim isti duo et duo fratres eorum, Ricardus rex Almanie frater Henrici et Karolus comes Andegavensis, in uxores IIII sorores, filias comitis provincie.

X pars de nova vexacione tyrannorum in Ytalia [a]

Tortuosi [b] autem serpentis [c] ~~spiritus~~ malicia Ezelini nec ad punctum sopitur, quin diversas mundi partes ad scandala excitet, ut provocet contra ecclesiam principes christianos. Unde ad regem Ungarie nuncios mittit pro eius amicicia obtinenda. Nunc inter principes Almanie seminat invidia, nunc regi Castelle promittit[2] regnum[1] Ytalie. Cor enim illius impii hominis quasi mare fervebat nec quidquam actum putabat, cum adverteret malum aliquid super omne agendum. Dum autem Lombardia et marchia Trivisina [d] tantis malis premitur ex altera parte Ytalie Manfredus in regno Apulie tyrannizavit non dubium propter peccata populi. Mortuo enim papa Alexandro

a) Die Überschrift glänzend rot.
b) Das T matt rot ausgemalt etc.
c) sp(irit)us C
d) Trivisina ausgeschrieben C.